

Argumenta quæ præcedunt adhortationem ducuntur à causis 1. Efficientibus, Instrumentali, *Salomone*, & aliis sacris scriptoribus : & Principali, Christo. 2. Finalibus.

Prima ratio est ab adjuncta *Salomonis* sapientia : quòd enim Dei in hujus libri editione scriba sapiens fuit, Dei ipsius testimonio declaratur : cum hac additione, nunquam ut vel antè, aut post illum olim extitit, aut deinceps extabit qui illum sapientia exæquare possit. Cujus quidem sapientiæ cùm species seu partes diversæ sint, hæc in naturæ arcanis indagandis, illa in politica reipublicæ administratione versata : tum quæ in regni Dei mysteriis pandendis & retegendis consumpta est, facilè palmam tulit. Quamobrem egregiè stultos & fatuos esse oportet illos, qui documenta hæc à tam sapienti viro profecta, non amplexantur. Si quæ de naturæ arcanis scripsit monumenta ad nostram hanc ætatem transmissa extarent : si politica illa prudentia qua excelluit, literis consignata fuisset, & simul ad manus nostras pervenisset : quantus mortalium numerus repertus fuisset, qui ut illos libros redimerent, omnes suas cùm opes tum vectigalia illis posthabuissent : hujus autem præstantissimæ sapientiæ suæ partis, hominibus gratis & sine pretio oblata, atq; adeò in os delata, quotusquisq; est qui

Qq 3

ullam